



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 133. Græci Constantinopolim reduces.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A. C. 1440.

Pedemontii, & Sabaudia ditionibus) legitime electum coluit Eugenium Pontificem. Dux Mediolanensis de obedientia præstanda cum Felice pacisci voluit, sed hac super re conclusum est nihil. Ferdinandus Calabriae Dux misso ad Synodum Legato, se Felici adhæsurum spondit. Denique Franciscus Sfortia, quo plus promisit, eo minus, quin & nihil servavit. Ast schismatis hujus seriem intercidentes, transire debemus ad Græcorum Historiam, ut ea, quæ Constantinopoli post eorum adventum actitata sunt, referamus.

## §. CXXXIII.

*Græci Constantinopoli.*

*Phrantz.*  
*l. 2. c. 17.*

Jam perspiciamus, an ingentes illi, qui ex Ecclesiæ Orientalis unione sperabantur, fructus collecti fuerint. Attigere quidem Græci Constantinopolim die prima Februarii anni currentis, omnes salvi ac incolumes: ii tamen, qui huic concordia subscripserant, inhumaniter admodum fuere excepti. Clerici, qui Constantinopoli remanserant, ex præconcepta rei male gestæ opinione cum illis, qui ex Italia redierant, nec sacra celebrare, nec in precibus eorum memoriam facere volebant. Paucis: tam Ecclesiastici, quam sæculares communibus armis

mis adversus eos conspirabant, præcipue Sæcul. XV.  
 vero Monachi, cum soli ferme populi con- A. C. 1440.  
 fessionibus excipiendis præpositi essent,  
 omnes urbis incolas, & ipsum etiam vul-  
 gus ad tumultum commovebant. Idcir-  
 co variis illos injuriis laceſſebant, *Azy-*  
*mitas*, fidei proditores, & apostatas con-  
 vitiabantur, Marcum vero Ephesinum  
 plenis buccis, omnique laude dignissimum  
 deprædicabant, illumque velut unicam  
 immotamque fidei columnam ad sydera  
 efferebant, eo quod, ut agebant, solus La-  
 tinorum molitionibus obſistere & Græcæ  
 Ecclesiæ honorem tueri, invicto animo  
 ausus esset.

## §. CXXXIV.

*Unio a Græcorum potissimis deserta,  
 atque impugnata.*

Plurimi persecutionis hujus vi expu- Chalcondyl.  
 gnati ad schismaticorum signa rever- lib. 6.  
 si sunt, & licet nonnulli constanter in fide  
 perseverarent, longe plures tamen lingua  
 juxta & calamo unionem, quam paulo  
 ante propriæ manus testimonio firmave-  
 rant, diris devoverunt, ac potissimam  
 Græcorum partem ad sua studia pertra-  
 xerunt. Quos inter præcipui numera-  
 bantur Metropolita Heracleensis, Gemi-  
 stius Philosophus magnus Ecclesiæ Con-  
 stantinopolitanæ Chartophylax, Sguropu-  
 lus